

rhagoidémve tunicam concrescentes, hoc malum efficiunt dum pupille foramen obstruunt; vnde externarum rerum simulachra quæ ad videndi facultatem importari debent, ratione obstructionis impediuntur, ne crystallino humori, qui præcipuum est instrumentum visus, communicari possint.

PROGNOSTICA. Inter leuiores suffusiones ea deterior est, quæ grauioribus morbis, ex magnisque capitis doloribus orta est: poteritque in principio hoc malum curari; verum si diu constiterit, suffusio que glaucescat, oculus visu priuabitur. ferè autem, quæ sine splendore est suffusio; & quæ ad candorem vergit, curam non recipit. Rursus si liquida, nigra, vel multum flava est suffusio, neque medicina, neque acu curari poterit; sic nec ea quæ nihil concrescentis materiei intuentibus exhibet, sed oculi videntur clari atque sereni, & tamen nihilominus nihil vident, diciturque gutta serena, tunc nihil quoque in suffusione medicamentis proficiemus, quæ pupillæ figuram commutavit. Si humor panniculi consistentiam fuerit consecutus, non nisi acu per corneam transmissa curari poterit, necessariumque est ut humor concretione firmitudinem consecutus sit; nisi enim acui subiici possit, aniceps esse solet cura: in quintum autem usque annum acui inidoneum esse solet concretum; vetustatem autem si sapiat, curam non admittit. Si autem id quod accrescit, perfictum diducitur, neque sic manet, sed iterum rediens iungitur, colorēmque exhibet obscurè album, curam admittere videtur.